

139-160

A. Cral.


Vir nobilissime et Summe.

Amor et admiratio tui hasce mihi literas expressit.
quæ benevolentiam tuam duntaxat ambiunt. præmia
si scripto consequor ista, sat est. Ingensq; opera pretium
tum fecisse putabo, si tibi at cui viro! obscurus,
hominibus innotescam. qui orthodoxam pietatem, cum
stupenda (quod stupendum maxime) eruditione, mediâ
in aulam sic traduxisti, ut et tuo tuiq; principis
principi deo placeas, et Summa seculi sidera in admi-
rationem tui iampridem rapias. quod me non dare
tuis auribus, sed rei veritati, eruditi omnes agnoscunt.
Sed præter suprag; ceteros ego hoc in te, Summe virorū
suspicio, quod quanti summum facias Heinsium, carmine edi-
to, publice testari volueris, nostrasq; quisquillas, quas in vi-
dia malevolentiaq; opposuimus, tibi non displicuisse (quod serio triumpho) in castris indicaris. Nescit adhuc et
æternam nesciat hoc unguis in danielle leo. cui, ut
Romanus sedendo, sic silendo vincit, et de malignitate et
maledicentia, coram toto orbe triumphat. Atrocesq;
inurias, Christi exemplo, partim ignoscit, partim non agnoscit.
quod, ni fallor, charitatis et concordie studium, omnem
scientiam, quæ charitate destituta, inflat, longissime
excedit. Sed et ego (hanc narrandi audaciam mihi dat
bonitatis tuæ fiducia) nonnihil molestia devorare cogor.
cui Camera rationum magistri, qui interdum perdere
sciunt sumptus extraordinarios, (quos ob mortem tribuni
Starobenburgii, cui pastores nostri castrenses in mensa
antehac erant assidui) quotidie facere coactus sum, reddi-
turos se negant, sed consueto trium florenorum demen-
so contentum esse iubent. totamq; provinciam huius homini
perpetuo obstringunt. Sed cum te morer nobilissime
vir, verbum non addam. Vale.

Uijæ in onlandia
8 Januarii Julijani
Anno 1676.



Nobil. tuæ devotissimus
Arnoldus. erat pastor in Uijæ
et Suijerdijk.



Nobilissimo, Amplissimo viro
dno Constantino Huigens, Regie
mi domino, Celsissimo principi a secretis.

Hagam.